

solvat comuni quinquaginta libr. par. et refitiat dampnum
 domino rei accepte, et si non habuerit unde solvere, frustetur
 et buletur. ¶ Si vero furtum commisserit a media marcha // 136 A
 superius usque ad decem libr., solvat comuni centum libr. par.
 5 et refitiat dampnum domino rei accepte, et si non habuerit
 unde solvere ponatur in carceribus comunis et in eis stet
 quindecim diebus suis expensis, et si non solverit predictam
 condemnationem, transactis dictis quindecim diebus, ampu-
 tetur ei manus dextra; et si solverit predictas centum libr. vel
 10 non, nichilominus ponatur in capitulario de falsis. ¶ Et si
 quis furtum commisserit propter quod condemnabitur in
 quinquaginta libr. par. et ab inde superius, ponatur et scri-
 batur in capitulario de falsis; et si aliquis minor etate repe-
 riatur in aliqua dictarum offensionum furti, puniatur in di-
 15 scretione domini a dictis penis inferius. ¶ Et si quis furtum
 commisserit a(d) decem libr. superius, solvat comuni ducentas
 libr. par., et si non habuerit unde solvere in termino sibi dato,
 suspendatur per gulam ita et taliter quod moriatur. Et femina
 conburatur. Et si solverit condemnationem et non refitiet
 20 dampnum domino rei vel contra, nichilominus suspendatur
 per gulam ita quod moriatur, et femina conburatur. ¶ Et si
 qua persona commiserit aliquod furtum extra districtum Ter-
 gesti, et tam si ipsum furtum conduxerit Tergestum quam non,
 si querela pervenerit ad dominium per lesum vel dampnatum
 25 vel eius procuratorem, quod dominium Tergesti quod pro ten-
 pore fuerit teneatur et debeat contra talem personam procedere
 quem ad modum furtum commissum esset in civitate Tergesti
 vel eius districtu. ¶ Salvo quod id quod acceptum fuerit in
 guera vel // per gueram vel pignoram non habeatur pro furto, 136 B
 30 et hoc intelligatur (per) tam de preteritis quam de futuris.
 ¶ Et quicumque qui inciderit bursam componat comuni Ter-
 gesti libr. quinquaginta par., ¹⁾ et si non habuerit solvere intra
 quindecim dies post condemnationem in eum factam, ampu-
 tetur ei manus dextra, et nichilominus puniatur pena supra-
 35 dicta de furtis de pecunia vel de rebus in dicta bursa acceptis.

¹⁾ Aggiunta marginale.